

ERECTIO CANONICA SOCIETATIS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS

DECRETUM

Quindecim abhinc annos pius ac zelans hujus Matriten. Dioecesis Sacerdos, Doctor D. Joseph Maria Escrivá de Balaguer et Albás, favente ac benedicente Ordinario Dioecesano, Institutionem condidit, cujus sodales, praeter propriam cujusque sanctificationem, servatis Evangelii consiliis in munere professionali exercendo obtinendam, hunc, quamvis non unicum, specificum finem sibi proposuerunt: enixe adlaborare ut selectam partem virorum professionum intellectualium, quibus natura competit societatem civilem dirigere, ad fidei catholicae principia revocarent et ad Evangelicam perfectionem suaderent.

Novam hanc Institutionem—quae, ob singularem et propriam con-sociationem "OPUS DEI" appellata, proprium finem omni conten-tione est ubique prosequuta—apprime temporum nostrorum et nostrae Patriae necessitatibus urgentissimis respondere nemini non apparuit. Omnes enim fatentur, rei publicae eversionem, quae universam fere Hispaniam nuper cruentavit, desertioni a doctrina et praeceptis Christi hominum "intellectualium" esse magna ex parte adstruendam, quippe qui doctrinis dissolventibus per tot lustra juventam studiosam inquit-narunt.

Cui piae Institutioni divinus favor jam inde a primordiis constans adfuit, sese praecipue manifestans tum numero et qualitate ad eandem advolantium juvenum integritate aequae ac ingenio florentium, tum fruc-tibus uberrimis ubivis ab eadem collectis, tum denique signo contra-dictionis, quae operum Dei sigillum semper exstitit. At vero, succe-scentibus in dies Institutionis membris, ejusdemque mirum in modum extenso activitatis ambitu, visum est, scopum, constitutionem et meihor-dum actionis intra fines simplicis Associationis ulterius contineri non posse, sed ampliorem et firmiorem exigere rationem verae Societatis Ecclesiasticae legitime erectae et constitutae. Sic enim, dum diversae Institutionis activitates organice coordinabuntur, ipsa Hierarchiae inti-mius haerebit, necessariam internam athonomiam comparabit et firmi-tatem sanctionis nedum Ordinarii loci verum etiam Sedis Apostolicae nanciscetur.


Re igitur mature perpensa, pro Nostro officio, universum nego-

tium ad Apostolicam Sedem retulimus, a qua, per S. Congregationem de Religiosis, telegrapho prius, dein vero litteris authenticis die 11 octobris 1943, sub num. 2.777/43, responsum accepimus, nihil ab eadem Sede Apostolica obstare quominus ad optatam erectionem canonicam praedictae piae Associationis deveniremus.

Quapropter, facultatibus cc. 674, 492; § 1 concessis utentes, lauda-tam piam hucusque Associationem a Nobis ut talem jam antea ad-probatam in veram Societatem juris Dioecesani ad normam t. XVII l. II. Codicis Juris Canonici erigimus atque constituimus sub nomine *Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis*, in finem compendio Statuto-rum Sanctae Sedi submisso sat expressum et mediis ibidem relatis obtinendum. Haec autem Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis erit ad normam juris communis Nobis Nostrisque Successoribus plane subjecta (c. 492, §, 2.). Ut vero efficacius intentos effectus Societas consequatur, volumus ac edicimus ut, firmo compendio Statutorum Sanctae Sedi, ut diximus, delato, ejusdem Societatis ampliores et completiores Constitutiones exarentur Nostrae adprobationi sub-ji-ci-enda.

Hujus decreti canonicae erectionis Societatis Sacerdotalis Sanc-tae Crucis, manu Nostra subscripti Nostroque sigillo muniti, tria ex-scribantur exemplaria: primum ad Sedem Apostolicam remittendum, alterum Rv.do Moderatori Societatis tradendum; tertium denique in Archivo Curiae Episcopalis ad perpetuam rei memoriam asservandum. Matriti, in die festo Immaculae Conceptionis B. V. M., 8 decembris 1943.

† LEOPOLDUS, EPISCOPUS MATRITEN- COMPLUTEN.



J. MARCO,
Cancell.